



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

Ixviii [i.e. viii]. Figura artificiatum consistit incerta distantia & indistantia partium, & ablatione partium superfluarum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

84 *Dissertatio Septima de natura & arte,*

opera naturæ ; quia in nullum effectum influuit effectivè, & forma per artem directivè producta, non est ipsa rerum substantia seu natura, sed certa tantùm ipsius naturæ modificatio & dispositio. Potest nihilominus ita dirigere potentias executrices, ut effectus naturales certo modo faciliùs efficiant ; item causas naturales ita sibi invicem admovere & commiscere, ut hæ agendo in se mutuo & patiando, effectus producant naturales, etiam animatos : sic itaq̃ in specie potest docere modum faciendi aurum ; cùm in eo nulla sit implicancia, nec ratione materiæ, quæ omnium formarum est capax, nec ex parte formæ, cùm hac ratione per artem formæ producantur longè nobiliores ; nec ex parte dispositionum, cùm calor v. g. solis aliæq; aliunde suppleri possint.

VIII. Forma vel figura operis artificiatum nihil est distinctum à certis ubicationibus sive, quod idem est, à certa distantia vel indistantia partium rei artificiosæ, ita tamen ut simul essentialiter dicat ablationem partium superfluarum ; aliàs in quocunq̃ trunco indolato erunt omnis generis formæ artificiales, cùm hic habeat certas & easdem suarum

una partium ubicationes, antequam dedole-
tur, quas habet; post factam ex eo statuam.
Nequè hinc sequitur, illum, qui movet sta-
tuam, utpote qui facit, ut partes ejus novas
physicè acquirant ubicationes, producturum
novam statuam: nam manent partes statuæ
æquè inter se distantes, & acquiruat ubica-
tiones omninò prioribus similes, adeoquè
manent ubicationes moraliter eadem; præ-
terea movens statuam non producit illas ubi-
cationes primò, aut arte dirigente, quod ad
denominationem artificis requiritur.

DISSERTATIO OCTAVA

De Causis in genere.

I. **C**AUSA est principium (per quod conve-
nit cum Patre in divinis, qui est prin-
cipium Filii generati) *influens* (id est, ex intrin-
seca sua virtute communicans & dans alteri
esse, quod non faciunt conditiones, sed sunt
tantùm id, sine quo causa non daret effectui
esse) *per se* (id est, cum intentione & incli-
natione; si enim æquè vel magis inten-
deret oppositum, non est propriè causa:)
influxu ex se formaliter defectibili, id est, non
neces-